



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Brvxellis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

## HISPALI.

IN D. IACOBI.

DEO VIVENTIUM S.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI, Doctoris  
Theologi, sacrorum librorum ex diuino beneficio  
Interpretis eximij, & testimonij IESV Christi Do-  
mini nostri annunciatoris seduli; viri incompara-  
bilis, titulis cunctis maioris, monumentis augu-  
stioris, ossibus in diem resurrectionis iustorum  
cum honore asseruatis.

Dominus Alfonsus Fontiberius Prior con-  
uentus S. Iacobi Hispalensis, in Prioris  
quondam sui opt. meriti memoriam P. C.  
An. 1605. Obijt anno CIO. ID. XCVIII.  
AËtat. LXXI.

## BRVXELLIS.

IN EQVILI ARHIDVCVM ALBERTI & ISA-  
bella: Equus, cui nomen NOBILIS

loquitur.

*Siste gradum spectator, ego de nomine dicor  
Nobilis; at præsto nobilitate rei.  
Archiduci ALBERTO substraxi tergora quondam,  
Quãdo prope OSTENDAM martia Erinnys erat.  
Illum quæ eripui pugnantem hostilibus armis,  
Cum vel ei, mihi vel, mors subeunda fuit.  
Me magis ardebat miles, quia virginis iustar,  
Cernebat miuea crescere fronte iuban,  
Hinc vt me aperet, crebro sua spicula & enses  
In caput ignoti, strinxerat Archiducis.  
Euasi eduxique virum, me quæ ipse reduxit  
Incolumem, nostra non erat hora necis.*

V u 2

AST

*Est anno vertente die quo euasimus ambo,  
NOBILIS interij, Cernite qualis eram.*

---

ANGLICA,

S. EDVARDI.

*Guilielmi Hannonis soboles postrema PHILIPPA,  
Hic roseo quondam pulcra decore iacet.  
Tertius EDVARDVS Rex ista coniuge latus  
Materno suasu nobiliumque fuit:  
Frater Ioannes Comes Mauortius heros,  
Huic illam voluit consociare viro.  
Hac iunxit Flandros coniunctio sanguinis Anglis:  
In Francos venit hinc Gallica dira lues.  
Dotibus hac raris vixit Regina PHILIPPA.  
Forma prestanti, Religione, fide.  
Fœcunda nata est proles numerosa parenti,  
Insignes peperit, magnanimosque Duces.  
Oxonij posuit studiosis optima nutrix.  
Regineas ades, Palladiumque scholam.*

---

IN REGIA CAPELLA.

*Septimus HENRICVS tumulo requiescit in isto,  
Qui Regum splendor, lumen & orbis erat.  
Rex vigil & sapiens, comis, virtutis amator,  
Egregius forma, strenuus, atque potens.  
Qui peperit pacem regno, qui bella peregit  
Plurima, qui victor semper ab hoste redit.  
Qui natus binis coniunxit Regibus ambas,  
Regibus & cunctis fœdere iunctus erat.  
Qui sacrum hoc struxit templū, statuitque sepulcrum.  
Pro se, proque sua coniuge, prole, domo.  
Lustra decem atque annos tres plus cōpleuerat: annis  
Nam tribus octonis Regia Sceptra tulit.*

*Quin-*